BIBLIOTH. DE L'UNIVERSITÉ

FACULTÉ
DE
THÉOLOGIE
DE PARIS

THÈSES

BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
MS.
692

BIBL.
DE
L'UNIVERSITÉ
MS.
692

Volume de 405 feuillets
(moins 25, 26 et 346)
20 Juin 1912

332

De Sacramentis

Theses

ad Licentiam.

De Re Sacramentaria

Theses

I. Sacramentum est signum sensibile a Christo Domino permanenter institutum quod gratiæ tum significandæ tum producendæ vim habet.

II. Baptismus est vere et proprie Legis Novæ Sacramentum

III. Ubi necessitas urgit, omnes omnino viatores licite et valide possunt Baptisma conferre, dummodo illud conferant in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.

IV. Confirmatio Baptisatorum est verum et proprie dictum Legis Novæ Sacramentum.

V. Ordinarius Sacramenti Confirmationis minister est Episcopus, non autem quivis simplex sacerdos.

VI. In Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento continetur vere realiter et substantialiter corpus et sanguis una cum anima et divinitate Domini Nostri Jesu Christi, et proinde totus Christus

VII. Omnes et singuli Christi Fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, tenentur singulis annis,

saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum Sanctæ Matris Ecclesiæ 384

VIII. Pœnitentia est vere et proprie Sacramentum, Fidelibus quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino institutum.

IX. In sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium est jure divino, confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum diligenti præmeditatione habetur.

X. Extrema Unctio est vere et proprie Sacramentum Novæ Legis a Christo Domino Nostro institutum et a Beato Jacobo promulgatum

XI. Proprius Extremæ Unctionis Minister est sacerdos, non autem, ut volunt Novatores, ætate seniores in quavis communitate.

XII. Ordo, seu sacra ordinatio, est vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum.

XIII In Ecclesia catholica est hierarchia divina ordinatione instituta, constans ex episcopis, presbyteris et ministris.

XIV. Matrimonium est vere et proprie unum ex septem

Legis Evangelicæ sacramentis, a Christo Domino institutum.

XV. Ecclesia potuit constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, et in illis constituendis non erravit.

Has theses, Duce Deo, auspice Maria, Immaculata Virgine, Præside viro J. N. Jager, S. Theologiæ Doctore, in Facultate Theologica Parisiensi, Ecclesiasticæ Historiæ professore, tueri conabitur. C. M. Allemand-Lavigerie.

336